Conciones et orat. exter.
S. Antonius de Padva

Gostkowski Ignatii Oratio pro thaumaturgo patrono S. Antonio de Padva.

ORATIO

Pro Thaumaturgo Patrono

S. ANTONIO DE PADVA

In Ecclesia PP. Bernardinorum Conventûs Tarnoviensis.

per

J G N A T I U M

de Witoszowa

G O S T K O W S K I

Vicesgerentidam Sandecensem,

Scholæ Rhetorices Auditorem.

In frequentissimo Hospitum distinctorum Concursu

Annô Domini 1767. Die 13. Junij.

DICTA.

MAGNIFICO DOMINO
FLORIANO
De Witoszowa.

GOSTKOWSKI

Dapifero Zytomiriensi,
Cohortis Loricatæ Equiti,
DOMINO
Patruo meo amantissimo,
Benefactori munificentissimo.

ADmirandas Antonii Divinissimi virtutes, quas nuper de suggestu Oratorio, in frequentissimo Hospitum Distinctorum confluxu officioso cultu exposui publicus Preco, quòd Tibi Magnifice PATRUE reverenter offeram, id Tua & in Hunc Thaumaturgum Patronum pietas ferventissima, & erga me devinctissimum ex Fratre Nepotem munificentia singularis, jure sibi repetunt meritissimo. Te potissimum hoc qualecunq; literarium animi mei pignus spectat, ut quem effusum liberaliter in sui commodum Seraphicus Ordo omni quà par est gratitudine recognoscit, hunc Thaumaturgus Ejusdem Filius olim, nunc Patronus gratiosum laudum suarum sentiat Protectorem. Neq; dubito quin sereno vultu & plena propensæ voluntatis significatione, hánc rudi quidem oratione depictam, sed Antonii Divinissimi immortali gloriâ condecoratam is excipias opellam, Cujus maximum esse operæ pretium, bellè novi non solúm devotissimo cultu jam in Cælis

Trium-

Triumphantis laudes celebrandas eligi putare, aſt etiam omni contentione animi virtutes Te ſequi Viatoris, Non jam ego (ne domeſtica extollere videar) tuam in Superos pietatem, in Eccleſiam munificentiam, in Patriam refero fidem. Extant utiq; publica foris documenta, quæ Te morum probitate Diis peramabilem, humanitatis officiis amicis jucundiſſimum, liberalitate erga pauperes teſtantur fuiſſe plurimum commendatum. Quàm verò, decorem Domus Dei, intimis pectoris dilexiſti medullis, ſplendor ejuspalam loquitur, quem per Te adaugeri pretioſo jam multis in locis apparatu omnibus eſt compertum. Exultat jam dilecta Tibi Patria, quòd in tanto Equite dexterrimum legum propugnatorem, gaudet Orthodoxa Religio, quòd zeloſiſſimum integritatis ſuæ Aſſertorem, triumphat pretioſior auro libertas, quód eximium ſui tutorem in Te adinvenerit, qui potiùs vitæ propriæ quàm harum omnium vel minimam jacturam patienti animo ſufferres. Nihil dico, quàm multum debitæ obſervantiæ meæ officium interceſſerit, ut in faventiſſimum Patruum devinctiſſimi obſequii, in ſingularem Literarum & Literatorum Protectorem intimæ propenſionis conteſtarer argumentum. Enim verò tanta in me beneficiorum, tanta favoris Tui comperio monumenta, ut illis exaſſe rependendis nec perpetuum gratitudinis ſufficiat ſtudium. Ea propter pro Domo cujus egi Oratorem, Illius laudes in gratioſo Tuo reponens ſinu, Exoratorem pro ſucceſſibus Patrui amantiſſimi Antonium ſubſtituo Diviniſſimum. Atq; per validiſſimam interceſſionem Ejuſdem Deum Ter Optimum Maximum ſupplex obſecro, ut annorum longiſſimo decurſu Divinis benedictionibus cumulatiſſi-

tissimus, ætate per quam maturus, meritis in Ecclesiam Dei & Patriam charissimam plenissimus, sospes & fortunatus perfruaris, utq; universæ vitæ meæ rationes Tuo sub Patrocinio tutissimè conquiescant, ut pote:

MAGNIFICÆ DOMINATIONIS VESTRÆ
Patrui mei amantissimi
Benefactoris munificentissimi

devinctissimus ex Fratre Nepos,
& humillimus Suppedaneus
Idem qui supra.

ORATIO

Maximas Vobis *Religiosissimi in Christo Patres gratias*, & habere & agere debent Scholæ Nostræ, qui cùm hodierno die in tanta frequentia distinctorum Hospitum Annua Divinissimi Antonii solemnia renovatis, nec præconcepta desideria nostra exacerbare voluistis, quin ex testificatione Clientalis in Hunc Thaumaturgum Patronum pietatis, Vos erga tenerrimi affectûs, & maximo gaudio & gratulatione frueremur. Quod factum cum nobis omni ex parte sit gratissimum, tum mihi cum Provincia perorandi hoc in præsentiarum superponitur, ut ex Seraphicæ Religionis, tanquam mari laudibus Divinissimi Antonii utpote uberrimi fontis præconia eruam. Ne vero hoc genere dicendi assentari vobis videar, dicam non meo judiciô, sed teste Cælo, teste Ecclesia, & teste terra dicam, sacerrimam Religionem Seraphicam horum omnium gloriam, decus, & præsidium extitisse. Nonne es gloria Cæli o Religio Seraphica! ex qua ad laudes Divinas intonandas ultra septem millia quingenti quatuor Sancti supernas sedes petiere, Horum è medio mille quingenti Martyres effuso per cruenta vulnera sangvine & integritatem fidei asseruere, &

glo-

gloriæ Cælestis æviternam Patriam consecuti sunt Quid dicam de Religionis istiusmet Confessoribus, quorum ultra sex millia hanc S. Catholicam Romanam Religionem verbo & exemplo esse unicè necessariam, ad æviternam salutem obtinendam satis abunde probaverunt. Et quis vobis præsumet denegare, quod decus Ecclesiæ in Religione vestra præferatis? utiq; me etiam tacente, exultat Sedes Apostolica, quòd quinque Summis Pontificibus à Vobis sit dotata? Adsunt præterea ultra quinquaginta sex Cardinales, concurrunt ultra nonaginta Archiepiscopi, Episcoporum verò numerum inire impossibile, quorum singuli ad singulare decus & ornamentum Ecclesiæ suis temporibus floruerunt. Nihil dico de Bonaventura & Scoto Doctoribus, à quorum expositionis claritate, splendidissimum Ecclesiæ jubar accessit. Quid si commemorem illum Bernardinum Senensem, atq; Joannem Capistranum, quorum operâ Sanctissimi Nominis Jesu Cultum in Universam Ecclesiam introductum singuli & veneramur & miramur. Approbant Universi Sacerrimam Religionem Vestram, ad præsidium terræ erectam, cujus robur invictissimum in propagando Cultu Divino, in conciliandis malevolis

animis

mis in disseminanda ubivis gentium Pace, nemo est qui non videat. At verò in Divinissimo jam supra fato Joanne Capistrano nonne luculentiùs hujusmodi crevere fundamenta? imò luculentissimè, qui Dux exercituum, profligatis in fidem Conjuratis hostibus, tranquillitatem Regno ablatam resarcivit. Accedit & hinc plurimum terræ ad præsidium, quod sepulchrum Christi Domini, ille pretiosissimus Orbis Universi thesaurus in custodia Vestra jam ultra quadringentos Annos sit repositus, cujus supremus Custos, Pontificio in solemnioribus indutus apparatu, auratos Sanctissimi Sepulchri Equites assvevit procreare. Admiranda certè in Religione Vestra hæc universa, non tamen sunt miranda, cum Sanctus Franciscus Pater Vestrûm, Divina virtute, Corpore integro & incorrupto Cælum versus erectus, atq; supra tumulum in aëre pendulus, hodie dum stans observetur, prodigiū factus est Universo mirabilis profecto etiam post funera in Seraphico Patre & servo suo altissimus Dominus, verum & in tanti Patris Filio cujus solemnia hac luce renovamus Divinissimo Antonio, non minùs admirandus. Cuju ego laudes ut brevibûs perstringam quantum potero, voce conten dam, ut omnes Quid in hoc Thaumaturgo

turgo Patrono ſit admirandum audiatis. Sed cum mihi & pro gloria Dei plurima, & in Antonium multa ſunt dicenda, alterum quod immenſum, peto à Vobis AA. ut Veſtra in ſuperos pietate compleatis, alterum ipſe efficere contendam ut me pro Antonio Diviniſſimo admiranda dicentem, benigne audiatis. Simul etiam illud à Te o Sancte Pater Antoni oro, ut ſi meas indicendo vires defficere jam conſpicies non aliter ac ſi oblitum mei, præadmirandis Tuis facinoribus me putaveris.

Et ſi univerſæ Antonii Diviniſſimi vitæ rationes prodigiorum ſint pleniſſimæ, adeò ut à primo ſui limine totius Orbis oras longe lateq; pervagatæ nullis miraculorum limitari poſſint terminis non expectabilis tamen hodie, ut ſingula ejus momenta, ut pote rem nimis amplam neq; hujus temporis (quod perexiguum Orationi meæ circumſcripſi) vobis proponere contendam ſeligemus ex multis pauca, atq; non incipiendo Antonium à puero, quanquam & hic plurima eſſent admiranda, nonniſi quod ſit admirandus mente. Admirandus verbo admirandus opere ulteriori ſermone proſequemur.

Et hic patiare me Antoni Diviniſſime jam ad oculum

lum Mundi producere sublimitatem Tui animi quam licet multo tempore humilitatis amore obvelabas, prosiliebat tamen illa, & Cælos ipsos penetrabat. Cujus rei ut Vos faciam certiores, nolite quæso putare Antonium ex integro esse hominem, Angelus enim erat mente, Cujus Cælestis illa Patria, quam ferventissimîs desideriis adhuc in terris vivens incolebat, perpetuum erat domicilium. Mirabile affirmat s aud u, sed nonne prodigio simile, quòd Thaumaturgus iste Patronus, corpore etiam in contemplatione Divinorũ Cælum versùs sublatus, aëra est visus penetrare, Alter hic credite mihi Doctor Gentium, qui antequam ad conciliandas Deo diversas Nationes sese contulit, Cæli priùs Discipulus est factus, unde omnem sapientiam hauriens, terris eandem erat refusurus. Quàm vero mysteria Divina profundissimè rimabatur testes apello eos, quorum vel incredulam pertinaciam vel errorum obscuritatem lucidissimîs rationibûs convincebat. Tibi, Tibi inquam Antoni ardua superare, altissima transcendere, abdita perscrutari, futura prævidere vel maximè datum erat à Deo. Attendite adhuc paulisper cogitationes Sancti Hominis. Erat in Illo cognitio omnigenarum scientiarum perfectissima, quia Divi-

B nitùs

nitùs infufa, infcium fe tamen proclamabat: erat in agendis rebus prudentia peritiſſima, hominem tamen ſine ratione ſe eſſe affirmabat. O humilitatem admirabilem! atq; omni laude literis monumentiſq; decorandam. Quid tandem diutiùs, cogitas, quid ulteriùs moliris, dic age; reſponde o Antoni: animadverto ego (te omni ſtudio in id ferri) ut hæc ſuprema perfectionis Tuæ femina, copioſiſſimam cultus Divini propagandi, &c. quærendi ſalutis animarum profectus, meſſem proferant. Ecce nunc tempus acceptabile, (in re Chriſti ſic loquar) ecce dies ſalutis, ideoq; multa admiranda de mente Tua mitto dicere, ne quàm ſis admirandus verbô, omittam.

De verbo Antonii dicturus, verbis ut nummis utendum eſſe palam fateor. Atqui tantus verborum inveniri poterit apparatus, ut pene Divinum in hoc Divo Præcone eloquium, non dicam exornare ſed vel in parte adumbrare valeat? Admirandus prodeat neceſſe eſt Orator qui admirandum in verbo Dei Diviniſſimum Antonium vivis orationis coloribus efformet. Verùm profundius humilitatis Antoni fixæ radices, nonne abjectiſſimos in ſpem erigunt meliorem

Refe-

Refero Vobis AA. tantam in hoc Viro fuisse humilitatem, ut nisi superioris obstitisset mandatum, nunquam ea dicendi vis atq; facultas latitari in ore Antonii innotuisset Universo. Ego Divino id consiliô factum puto, cum deesset, qui reficeret verbô Dei Confratres, tunc ad ejusmodi Provinciam obeundam Antonius compulsus, illico se admirandum in verbo demonstravit. Est fulgor & fulgur in Tuo o Antoni! verbo, exclamant attendentes, percellis non vincis tantum invictissima, Quare ne sub modio lucerna abscondatur, sed reposita in candelabro cunctis luceat, datur Tibi per Universum prædicandi facultas. Et hic jam vellem ego præ oculis Vestris constituere eos singulos, quibus Antonium per Sacras Exedras detonantem contigit audivisse. Sed forsitan Orbem nucleo includere attento, Capere equidem ad vocem Sanctissimi Præconis confluentes, non jam Ecclesiæ, sed oppida, Urbes, Provinciæ & Regna nequierunt. Profundebant illi sese in Campos pervagabant vastissima locorum, excelsa montium, remota sylvarum pertingebant, ut attingere vocem Antonii potuissent. Sed non sunt hæc miranda, egrediebatur enim cum voce Ejus quædam virtus, quæ universorum sanabat

universos defectus. Miramur singuli ad vocem Ezechielis Prophetæ ossa arida quondam surrexisse. O si! spectare nobis liceret AA. hismet oculis cerneremus, quantum ad vocem istiusmet Prophetæ (multa enim futura prædicebat) quantum inquam ad vocem istiusmet Prophetæ ardissimi in gratia Dei peccatores, surgebant in virtutes, nullusq; repertus est tam obstinatus, tam rudis, tamq; desperatus, inventus nullus, quem cum aut allocutus, aut contuitus Antonius fuisset, illico non maximum vitæ fructum cepisset. Quid si memorem illos à fide Christi alienos, quos Ecclesiæ Catholicæ invisceravit, Hic novus Apostolus, procertò adeò in eis convincendis dexterrimus extitit, ut omnium Judicio malleus hæreticorum vocaretur. Neq; mirari non possum, in quærenda animarum salute Antonii Divinissimi ferventissimum zelum tantus enim cordi ejus inerat, ut Illum à Verbo Dei deprædicando, non vis hyemis, non itineris longitudo, non asperitas viarum, non morbus etiam ingravescens retardaret; quinimo ubi bene merendi de salute proximi seve obtulit campus non jam iter facere sed volare Antonium videretis. Vereor ne quæ in verbo Antonii sunt magis admiranda, transiliat mea dictio; ac pro-

ac proinde pluribûs prætermissis, hæc quæ, referam, firmiùs teneatis. En Antonius prædicans Patrio idiomate, à diversis Nationibus intelligitur, non ne prodigium? en uno eodemq; tempore & in Exedra verba Sacra faciens & in hora Divinas laudes conspicitur decantans, non ne res nova? en vox Ejus, ultra duo milliaria pervolans, sui cupidos verbò Dei reficit, non ne stupor? en asinus verbô Antonii in venerationem Sanctissimi Sacramenti flectitur? en pisces ad audiendum, Servum Dei confluunt, en undiq; aves convolant, atq; supremum Numen quoquo possunt modo, recognoscunt, non ne miraculum? imò tantum miraculum, quantum nusquam legitur. Sed nimìs multa fortè de verbo, rem potiùs intueamur AA. quam quidem intelligo verbò fieri interdum graviorem solere.

Est hoc in more positum consvetudineq; multorum ut verbis ad ostentationem magna jactitent, nihil autem probent opere. Alii excitant eloquiô plurimos ad quæq; optima peragenda, quæ ipsi minimè exequuntur. Ast non sic Antonius Divinissimus, Qui non solùm verbo, sed etiam opere æque extitit admirandus, & quæ alios docere nitebatur, hoc se ipsum

priùs

priús fecisse demonstravit. Enimvero si virtutes Antonium contuebimur instillantem, eritne harum minima, quam non tenerrimo studiô complectatur? Nolo ego, vos in omnium cognitionem introducere, nimis enim recensendo singulas, essem molestus. Sed recogitate Vobiscum ipsi, quid in Antonio Divinissimo sit humilitas, si non abyssus profundissima? quid obedientia? si non spontanea servitus, quid paupertas? si non alienissimus ab illecebris Mundi animus Vultis adhuc quantum excelluit patientia Vobis referam, quis intollerandis adversis constantissimus? quis in sustinendis opprobriis invictissimus? si non Antonius Divinissimus? quis insuper in mortificandis suis sensibus acerrimus est visus? si non Antonius Divinissimus? Primum ut evidentiùs cognoscatis, en vobis Antonium ad pedes inimicorum suorum millies procumbentem, & amicabili osculo vulnera pertinaciæ lenientem; Alterum, ut clariùs pateat, necesse est, ut Antonium Divinissimum, jam omnis alimenti per aliquot dies expertem, jam totas insomnes noctes, ipsis disciplinîs corpus crudelissimê lacerantibûs, Orationibûs defessas, enervantibus vires, seriò invigilantem observetis. Sed respicitis jam in hoc Divinissi-

vinissimo Patrono amorem Dei, atq; proximi quorum primo quantum ardebat, nonne & è pectore sæpe sæpiùs erumpens ignis, & ardentissimum Martyrii desiderium satis clarè demonstrant? Alterius verò mirabiles effectus tunc Vobis innotescent, si Antonium Divinissimum ulcera infirmorum exsugentem, desperatos animos solamine spiritus perfundentem, saluti animarum cum detrimento propriæ sanitatis, ocyus succurrentem ubivis locorum persequemini. Sed apud quos hæc dico, utiq; apud eos, qui cum maturiori Judicio universam Antonii Divinissimi introspicitis vitam, nullibi meliùs, quàm in hac ipsâ velut in speculo optimè singulas elucere virtutes affirmatis. Quapropter non est jam mihi laborandum, quid in opere Antonium admirandum effecit, cum tot tantisq; virtutum decoribûs cumulatus quàm admiranda perpatrabat, animadverto, seriem mente comprehenditis. Ecce ille splendidissimus Angelicæ nitor castitatis permanens in Antonio sic arrisit Infantulo Christo Domino, ut in ulnas Ejusdem sese recipere, & tenerrimo à servo suo stringi complexu ultrò gestiat. O spectaculum! non modò hominibus, sed ipsis Angelis admirandum, o Manus Beatissimas! quas inæstimabilis appretiat Unio,

Anto-

Antoni (magna loquor cum fiducia) Antoni, quid ergo abhinc in hoc orbe terrarum sic erit admirandum quod in commune opus sacratissimis tuis non abeat manibus Videte quæso, videte, vix attrectat Antonius Infantulum Iesum manibûs, & illico admirandus opere non solùm terra & mari, ast etiam in aere extitit. Admirandus Antonius in terra, Illi enim sanare infirmos, periclitantibus amissos restituere sensus, excitare mortuos, jam pene cessit in naturam. Admirandus in mari cujus potentiâ frenantur tempestates, errabundæ rates ad præfixum portum diriguntur, & quas vel opes, vel homines insatiabile absorbsit Æquor, hæc illico cæteraque integra cujusvis genesis evomere cogitur. Admirandus & in aëre Antonius Divinissimus, hunc enim dum corrumpitur, moderat, dum intumescit ventis pacat. Terrent Vos vehementi mugitu excussa de nubibus fulgura, hæc ne noceant, retundere est Antonii pertimescitis lapsus desuper, Antonius labentibus, ne collidantur, manum supponit, & sic ubiq; locorum opere admirandus, seu ut basim cui tota Orationis meæ structura nitebatur eò firmiùs Vestris in animis solidem. Erat mente admirandus Antonius Divinissimus, erat verbô, erat opere admirandus. Nunc verò cum orationis optandus est exitus, duo à Te o Sancte Pater Antoni! oro, antequam hunc attigero. Primum cum sis admirandus mente, mentes nostras salutaribûs cogitationibûs imbue, cùm autem sis admirandus verbô, loquere pro Republica Polona, loquere pro Orthodoxa de, loquere pro communi omnium nostrûm bono. Te etiam insuper admirandum opere obsecramus, operare intercessione Tua potentissima.

tiſſima, ut ſedatis Regni tempeſtatibus tranquilla pace glo- riemur. Alterum eſt quod à Te orem, ut in hoc breviſſi- mo Tuarum laudum contextu non ſermonis elegantiam, quæ eſt nulla, ſed voluntatem noſtram, quæ eſt maxima ſpectare velis, atq; Scholas Noſtras, quotannis Nomini Tuo applau- dentes, unà cum Grandæva Scientiarum Matre Vniverſitate Cracovienſi utpote tenerrimo amore Ordini Seraphico mul- tùm cognata proſperam ac æviternam in gratioſo ſinu Tuo Páter Optime ſerves.

P E R M I S S U

MAGNIFICI DOMINI RECTORIS.

Studij Generalis
Almæ Univerſitatis Cracovienſis.